

Id post πάντα ταύτα καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες ὑγιανά. Vt sit sensus. Corpus enim susceptiuum sanitatis: & post subiicit & signum & causam, omnia hæc Græci vocant salubria. Respondeo quod ex ἐπι quod hic significat in, & δέχομαι, quod est admitto sit ἐπιδέχομαι quod est intus suscipio; inde ἐπιδεκτικὸν nomen verbale intus suscipiens. Laurentianus rectè exposuit, Leonicens perperam susceptiuum cum traduxisset salubre dicit. Quasi ad suscipiendam sanitatem falsò aptum, cum sit sanum. Sed contra quia homo suscipiens sanitatem non potest sanus verè, vt nec albedinem albus: igitur salubre non sanum corpus dici debet, & ita fiet necessària distinctio inter salubre & sanum, Respondeo quod Galenus voluit ponere differentiam ibi, inter corpus, causam, & signum; tamen etiam similitudinem illorum, non inter sanum & salubre: quia etiam causam salubrem vocat & signum; cum tamen actum illa, non potentiam significent. Suscipiens est duplex significatum, vel pro præsentī tantum actu idest acquirens, & tunc nõ possit dici sanum suscipiens, nec in hoc sensu Gal. intelligit: vel pro eo quod est subiectum sanitatis, & ità potest dici sanum, & verius quam salubre. Rursus contra, quia Galenus in eodem libro vbi de causis salubribus partium instrumentaliū loquitur, inquit, [[Quælibet pars simplex optimum vel habet situm, vel paulò ab eo euariat, salubreque efficit adhuc corpus: Quod si amplius à modo recesserit insalubre. Et quarta, quod iam corpus ægrum plurimo recessu reddit. ] Igitur inter insalubre & ægrum est discrimen apud Galenum. Dico litera Galeni græca sic habet, καὶ τρίτη νοσηρὸν καὶ τετάρτη τὸ ἡδυσσῶν. Quod est tertia ægrum: quarta iam ægrotañtem. Vbi probatur per νοσηρὸν, non insalubre, sed leuiter ægrotans intellexisse. Quod etiam & aliis diuisionis membris conuicitur. Differunt tamen salubre & sanum in significato partis artis, quia salubrem dicimus artem non sanam quæ sanitatem custodire docet vt in Thrasibulo. Ita sanum & ægrum propriè de corpore dicitur, insalubre & salubre impropriè: De causa autem, & signo propriè; sanum & ægrum impropriè.

CONTRAD. XLVIII.

*Aer an inter admouenda adnumerari debeat? Euacuatio an causa conseruans sanitatem.*

Galenus primo de tuenda sanitate adnumerat aërem inter ea quæ admouentur corpori vt etiam cibus & potus; paulò infra numerat inter ea quæ exterius incidunt velut & in Thrasibulo, cum ibi non adnumerat inter ea quæ admouentur. In arte autem medica ponitur separatus à cibo & potu, & seorsum adicitur. Dico quod illa sex ibi posita reducuntur ad illa quatuor posita in Thrasibulo omisso aëre & euacuatione, & in primo de tuenda sanitate. Nam

ad facienda venus, motus, & frictio, & somnus à Galeno in duobus locis postremò ad ductis reducuntur. Ira etiam, & animi affectus ad idem in Thrasibulo: euacuatio manet suo loco, & cibus & potus ad admouenda, & aër cū lauacris & inunctionibus ad exterius incidentia. Aër tamen prætermittitur vt inter admouenda in Thrasibulo breuitatis causa, annumeratur in primo de tuenda sanitate vbi copiosius rem declarat. In arte medica quia duas causas amplectebatur seorsum ponitur. Sed euacuatio in primo de tuenda sanitate cum quatuor causas ad tres reducit, adnumeratur non causis, sed his quæ sunt: In arte medica & Thrasibulo cum aliorum secutus sit opinionē vt habetur primo de tuenda sanitate inter causas seorsum adnumeratur. Nam vt repletio potest, esse morbus ita & vacuitas, quæ à medicamentis. Non est autem necessarium admouere euacuationem, sed illam industria paramus. Vel dic quod in arte medica causas omnes considerat morborum & sanitatis seu à natura seu arte factas: inter quas est euacuatio: in libris de tuenda sanitate causas solum à medico paratas: è quibus non est euacuatio. Princeps autem licet prima primi adnumeret præter res non naturales sex alia vt ætatem, artem, consuetudinem, & etiam casus vt vulnus: dico quod enumerat omnes tam morborum quam sanitatis, & tam eas quæ sunt in potestate nostra, quam quæ non sunt: Galenus solum quæ possunt parere sanitatem & morbum, non morbum solum, & quæ sunt in potestate nostra.

CONTRAD. XLIX.

*Corpus simpliciter sanum an bene temperatum.*

Corpus simpliciter sanum benè temperatum in primis particulis Galenus dixit libro artis medicæ dum illud deffiniret. Oppositum dixit in libro de constitutione artis medicæ, dicens quod corpus salubre intelligit simpliciter, non solum in optima temperie consistit, sed in octo etiam temperaturis inæqualibus, quod sic probat, quia dicit, aliter vnum duorum esset necessarium; vel quod omnes ægrotent, vel quod omnium sit vna temperies virorum, mulierum, puerorum, senum, & ità de aliis. Ratio hæc in hoc constat quod si temperatura æqualis est solum sana, vel singulæ ætates, sexus, habitus, habebunt diuersas temperies, vel eandem; si diuersas, igitur inter mille non erit nisi vnus temperatus, quia omnes alij habent diuersam ab illo temperiem; igitur omnes alij habebunt inæqualem intemperiem, igitur omnes ægrotabunt: vel habebunt omnes eandem temperiem quod est absurdum, & ita necesse est in alterum duorum incidere. Solutio est quod vel ibi distinguit ægrum à sano vt sub sano simpliciter neutrum continetur, & ità malæ intemperies leues cum sub neutro contineantur, continebuntur etiam sub sano. Vel dic quod